

vero, fatemur in ea quædam occurrere quæ a genuino Ecclesiæ cantu aliena videri possint. Itaque opus Giovannellianum ideo maxime sequendum duximus, quod ceteras editiones, quæ ad hanc usque diem typis evulgatæ sunt, procul omni dubio infinitis partibus superet. Atque ea res lectori facile patebit, si variorum editorum Gradualia voluerit inter se studiose conferre.

Huc accedit quod Graduale Pauli V valorem quemdam præ se ferat extrinsecum non levis ponderis, quo sane non alia editio commendatur. Illud nimirum est quod ab initio sæculi XVII tamquam perfectissimum, aut saltem aliis multo præstantius, cantus exemplar habetur a schola Romana, quæ antiquiorem et sanio-rem, nemine refragante, canendi normam a sæculis servavit et tradidit. Illud etiam Graduale constat summo semper pretio habitum fuisse penes eos, quorum sententia in rebus quæ cantum Gregorianum spectant, summa auctoritas est. Lectori sufficiet unus, de musica sacra peregræ meritis, JOS. BAINI, sacerdos Romanus, quondam præfectus musicæ sacelli pontificii (1).

Typographorum errores, quos in probatissimam Medicæorum editionem hic illic deprehendimus irrepsisse, summo studio expunximus. Ne vero vel in hac emendatione aliquid leviter vel temerarie fieret, nihil potius faciendum putavimus quam auctoritatem sequi codicum manuscriptorum, quos noster EDMUNDUS DUVAL in publicis bibliothecis urbis Romæ nuperrime consuluit.

Ad *Ordinarium Missæ* quod attinet, præ oculis habuimus cantum illius ita passim vigere et hodiedum

(1) Memorie storico-critiche della vita et delle opere di Giovanni Pierluigi da Palestrina. Roma, 1828. Vol. II, pag. 121.